

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 26. Pia exercitatio pro his, qui Missae intersunt

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

ecum cum Deo, cum proximo, & cum teipso postulabis. Similiter iterans cum celebrante, Domine non sum dignus, affectu quam potes humilitatis intensissimo, te tanta dignatione amabilissimi Salvatoris ad te venire patati indignissimum reputabis, ob peccatorum tuorum multitudinem & gravitatem: ob ingratitudinis tuae pro tot beneficiis enormitatem: ob corporis & animae fœditatem, & abyssalem tui nihil vilitatem. Tum Jesu Christi infinita pietate fatus, eum invitabis ad mundandum, ornandum, & in æternum possidendum cor tuum ardentissimis suspiriis. Mox affectus fidei, amoris & aliarum virtutum exercebis, ac si sacramentaliter communicasses, & pro spirituali refectione gratias ages. Si vero extra tempus, & locum sacrificii spiritualiter communicare desideras, priorem communionem Sacramentalem in memoriam revocabis & animo te conjunges Sacerdotibus offerentibus, ac ferventi desiderio dices: *Domine Deus meus, quando te denuò in anima mea suscipiam? Veni Deus meus & jam nunc in me spiritualiter & refice me. Cupio esse particeps omnium sacrificiorum, quæ ubique in Ecclesia Catholica tibi offeruntur. Veni dilece mi, in animam meam, purga eam stillicidio tui pretiosi sanguinis, riga fluentis gratiae, fœcunda rore misericordiae, ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, posside regnum cordis mei, conforma illud cordi tuo, ut idem tecum velit & nolit, nunc & in æternum. Quidquid denique præscribitur pro communione Sacramentali, ad spirituale transferri, eique optimè convenire potest.*

#### §. XXVI. Pia exercitatio pro his qui Missæ intersunt.

**C**UM Sacrificium Missæ sit viva & vera, vitae, passionis & mortis Christi representatio, quotidie illi inter esse oportet; & si datur occasio eidem ministrandi, nullo modo negligenda est, nam cæteris paribus majus est ministrantis meritum, quam simpliciter assistentis. D. Thomas jam Sacerdos, & Doctor post quotidianam ce-

K iij

lebrationem aliud sacrum audiebat , cui etiam ut pluri-  
mum ministrabat . Qui Missam cum potest non audit , is  
Deo ingratus , suæ salutis immemor , & ad officia pietati-  
nis nimium languidus esse convincitur : in ea enim meri-  
torum Christi inæstimabilis thesaurus cuivis Christiano  
proponitur , & sacrosancta redēptionis nostræ mysteria  
renovantur . Si virtutes & merita omnium Sanctorum ,  
si omnium Martyrum tormenta , si cuncta obsequia Deo  
præstata , præterita , præsentia & futura simul jungantur ,  
non tam perfectam laudem , & honorem Dëi comple-  
tentur , quæcum unica continet Missa à quocumque Sacer-  
dote celebrata . Atque hinc colligere potes quæcum turpe  
sit & deplorandum , tanti sacrificii dignitatem & utili-  
tatem , aut non æstimare ut par est , aut ignorare . Et re-  
vera hoc tremendum Mysterium ignorare , aut spernere  
videntur illi , qui corpore præsentes in templo , mente &  
oculis vagantur fabulas & nugas miscent , eique adstant  
tanquam comediae spectatores . Hi sunt , qui in loco mi-  
sericordiae divinam contra se justitiam provocant ; & no-  
va committunt peccata , ubi vetera expiare debebant .  
Sed his omissis modus piè audiendi sacrum tradendus est .

Et primò quidem eundo ad Ecclesiam magnum in te  
excita pietatis sensum cum spirituali quadam alacritate ,  
quæ oriatur ex consideratione præstantissimi operis ad  
quod accedit . Opus enim est divinum , Deo gratissimum  
& maximè utile ad propitiationem pro peccatis , ad exer-  
cendos actus præcipuarum virtutum , ad obtinendam  
mentis puritatem , & unionem cum Deo , ad exhibendum  
sanctissimæ Trinitati cultum , honorem , gratiarum actio-  
nen modo excellentissimo , ad impetrandum tibi , & pro-  
ximo quicquid ad vitam temporalem & æternam necessa-  
rium est .

11. In ingressu Ecclesiæ aqua benedicta te asperge eli-  
cito aëtu fidei , & contritionis . Tum locum elige , quan-  
tum fieri poterit , remotum à turba & ab occasione di-  
stractionum . Deum præsentem in propria domo Majesta-

tis suæ adorā, qua majori potes reverentia. Aperi mentis oculos, & vide Angelorum multitudinem circumvolantem, & Sacerdoti assistentem cum ingenti tremore & honore. Hos imitare, flexisque genibus, internos externosque sensus ita compone, ut quidquid est in Ecclesia, fiat tibi invisibile, nec aliquam sensibus impressionem faciat. Æternus Sol justitiae, qui ibi adest, mentem tuam absorbeat, & sensus perstringat tanto claritatis excessu, ut nihil aliud videre, cogitare aut percipere possis.

III. Sic compositus Sacerdotem expecta & dum ille se præparat, dum sacrī se vestibus induit, excita in te fervorem devotionis, contritionem, & amorem, pete gratiam à Deo, & ora hac vel simili formula.

## Oratio.

**C**lementissime Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui sic mundum dilexisti, ut Filio tuo unigenito non parceres; sed eum pro nostra reparatione acerbissimæ passioni & morti traderes, cuius gratissimam oblationem quotidie in Ecclesia renovari voluisti, ut illius in nobis fructum innovares: da mihi obsecro huius tam admirando & salutari divinæ tuæ potentiae, sapientiae, ac bonitatis mysterio sic interesse, ut cruenti illius sacrificii participationem per hujus incarnati oblationem quam efficacissime consequi valeam. O quot suspiriis, quam ardentibus votis ipse coæternus tibi Filius desideratus à cunctis gentibus fuit! donec tandem missus à te formam servi accepit, & nostra mortaliitate induitus Majestatem Deitatis carnis velamine obtinxit: tibique obediens factus usque ad turpissimam mortem crucis, nos morte sua ab æterna morte redemit. Hoc opus tam immensæ charitatis in hoc Missæ sacrificio recordatur, cui utinam assistere possem ea devotione, attentione & reverentia, quam exigit divinæ Majestatis præsentia, tot Angelorum assistentium frequentia, tot mysteriorum quæ hic geruntur, magnificentia. Tu quo-

K iiiij

„ so , Domine , posside , ac rege cor meum gratia tua , ut  
 „ hoc meum obsequium tibi placeat , & profit animæ  
 „ meæ . Doleo ex intimo corde meo , quod unquam of-  
 „ fenderim te , qui tantopere dilexisti me . Credo in te  
 „ viva fide , ô æterna veritas : spero in te firmiter , ô vera  
 „ salus animæ meæ : Amo te ex toto corde , ô summum  
 „ bonum meum . Absorbeat me ardentissima vis amoris  
 „ tui , ut nihil unquam separet me à charitate Christi Salva-  
 „ toris mei , qui ex summo amor carnem suam , & sanguini  
 „ nem mihi dedit ; & sub speciebus panis & vini , ut per-  
 „ petuo nobiscum esset , mirabiliter esse voluit : cum quo  
 „ & Spiritu Sancto vivis , & regnas Deus per omnia se-  
 „ cula seculorum . Amen .

I V. Junge & conforma intentionem tuam cum intentione Sacerdotis hoc modo .

„ Suscipe sancta Trinitas unus Deus sacro-sanctum  
 „ Sacrificium Corporis , & Sanguinis Domini nostri Je-  
 „ su Christi , quod ego indignissimus servus tuus divinæ  
 „ Majestati tuæ per hujus Sacerdotis manus offero , una  
 „ cum omnibus sacrificiis tibi unquam oblatis & offe-  
 „ rendis , unitum sanctissimo Sacrificio ab eodem Domi-  
 „ no nostro in ultima Cœna & in ara crucis oblato , omni  
 „ possibili pietatis affectu , ex puro amore tuæ infinitæ  
 „ bonitatis , juxta intentionem ejusdem Salvatoris nostri ,  
 „ & sanctæ Matris Ecclesiæ ; ad maximam , æternamque  
 „ gloriam tuæ divinæ Majestatis : in protestationem su-  
 „ premæ excellentiæ & dominii tui , & nostræ subjectio-  
 „ nis , ac dependentiæ à te : in perpetuam commemoratio-  
 „ nem passionis , ac mortis ejusdem Domini nostri : in  
 „ honorem , augmentumque gloriae B. Virginis , ac to-  
 „ tius curiæ triumphantis : in gratiarum actionem pro  
 „ universis beneficiis sanctissime Humanitati Domini no-  
 „ stri , B. Virgini Matri ejus , omnibus Sanctis , & electis ,  
 „ cunctisque creaturis , & mihi ingrato atque indigno  
 „ hucusque collatis , & conferendis in æternum : in satis-  
 „ ficationem peccatorum meorum omniumque fidelium

vivorum, & defunctorum: ad impetrandum mihi, & omnibus omnia subsidia vitæ temporalis & æternæ. Singulariter offero pro hac gratia obtinenda & pro his mihi specialiter commendatis, omnibusque pro quibus orare soleo & teneor, ut omnes te agnoscant, ament & glorificant in æternum. Amen.

v. Cum Sacerdos descendit ut recitet confessionem, percurre breviter peccata tua, contritionem excita, & innova propositum emendandi. Et cum ascendit ad Altare, illud osculaturus, adora omnes cœlites, eosque tibi; ac tuis, & toti mundo auxiliatores advoca. Ad Introitum devotè attende, eosque in te accende affectus, quos verba requirunt. Ad *Kyrie eleison* quemlibet ternarium ad singulas personas sanctissimæ Trinitatis dirige cum intensissimo dolore de peccatis. *Gloria in excelsis Deo* recita cum Sacerdote, desiderans Christum Jesum amore tui in vili stabulo natum, laudare, redamare & glorificare. Ad *Dominus vobiscum*, cum Minister respondet & cum spiritu tuo, paucis, sed ardenter Deum rogo, ut Ministris Ecclesiæ omnem gratiam & dona necessaria ad officium suum ritè exequendum largiri dignetur. Post hanc Salutationem sequuntur collectæ quibus similes affectus associabis, & quod Sacerdos petit, tu quoque à Deo postulabis.

v i. Epistolam, sive lectionem, & Evangelium attentè audi cum desiderio divinam voluntatem tibi indicatam adimplendi & affectus elice, rei quæ legitur proportionatos. Zelo exardesce Evangelicæ perfectionis, mores tuos Christi monitis & institutis conforma, aliosque omnes verbo & exemplo ad Christum trahere propone. Symbolum recita cum Sacerdote, elicito fidei actu circa omnes ejus arriculos cum desiderio eamde propagandi.

v ii. Sub Offertorio & Secretis offer sanctissimæ Trinitati vitam, passionem & mortem Christi Salvatoris, & merita ejus, ac omnium Sanctorum pro communibus Ecclesiæ necessitatibus: pro conversione infidelium & eorum, qui sunt in peccato mortali: pro fervore justorum

repide Deo servientium: ut multiplicentur Sancti in Ecclesia: & pro salute totius mundi. Offer etiam omnia desideria & opera tua, & unicum meritis Christi Salvatoris.

viii. Ad Præfationem Deo gratias age pro omnibus beneficiis communibus & particularibus, illis præsertim, quæ non cognoscuntur ab omnibus, & quibus multi abutuntur, & pro quibus gratias non agunt quantas possent, & deberent. Denique usque ad elevationem pro omnibus deprecare hac, vel simili oratione.

*Oratio.*

„Suscipe, clementissime Pater, de manu hujus Sacerdotis hoc sacro-sanctum Sacrificium in unione illius tibi gratissimi, quod dilectus Filius tuus tota vita, in ultima Cœna & in Cruce obtulit tibi pro me & omnibus, pro quibus mori dignatus est. Respice in faciem Christi tui, & per paternā infinitā misericordię tuę viscera; per ejusdem Unigeniti tui merita, per ejus Incarnationem, Nativitatem, Circumcisionem, lacrymas, labores, passionem & mortem; per incomprehensibilem charitatem, qua tanta pro me fecit, dixit, & passus est; per eximiam B. Virginis Matris ejus sanctitatem, per omnium Sanctorum tibi exhibita, & exhibenda obsequia, miserere Ecclesiae tuę Sanctę ipsius Filii tui Sponsę, quam acquisivit sanguine suo; & eam toto orbe terrarum rege, dilata, coaduna, sanctifica & exalta, ut per eam & in ea perfectè ab omnibus glorificeris. Miserere summi Pontificis omniumque Episcoporum, Prælatorum, Pastorum animarum, Regum, Principum, Magistratum, & aliorum, qui maxime possunt glorię tuę, & saluti animarum prodesse. Effice illos homines secundū cor tuum, zeloque gloriae tuę, & salutis animarum inflamma, ut & ipsi corde perfecto omnes voluntates tuas faciant, subditosque sibi verbo, exemplo, consilio, imperio, & auxilio ad

idem inducant. Miserere deinde omnium statuum Ecclæsiaſt̄corum, noſtræ præſertim Congregationis; omnesque & ſingulos gratiæ tuæ radiis illuſtra, & ſinceræ charitatis tigne accende, ut omni humano respectu ſemoto, ſeſe invicem intimè diligant; mutuis officiis juvent, exemplis excitent, non quærant quæ ſua ſunt, ſed ad unicam tuam gloriām, & animarum ſalutem promovendam unanimiter conſpirent. Memento item, & miſererere omnium, pro quibus ſingulariter orare teneor, parentum, fratribus, ſororum, consanguineorum, affiniūm, benefactorum & amicorum meorum, omnium qui ſe mihi commendaverunt, quibus ſcāndalo fui & quos ego contristavi, offendī & juvare neglexi, quosque per me indignum viſ juvari & in viam ſalutis dirigi: omnium innocentum & bona desideria habentium: agoniſtantium, infirmorum, afflitorum & de gravi aliqua tribulatione ad te clamantium; eorumque necēſitati- bus clementer ſubveni, piis desideriis aspira, miſericor- diæ tuæ theſauros ſingulis aperi, ut à peccatis liberati bonis operibus abundant, tuoque in omnibus beneplacito ſe conforment. Oculos quoque tuæ pietatis converte ad infelices animas peccatorum nexu conſtrictas, obſtinatas, impoenitentes & in densis perfidiæ, ignoran- tiæ atque infidelitatis tenebris pereunteſ: Libera eas de ore Leonis, revoca ad gremium Ecclesiæ tuę, & ad oſculum pacis admitte, ut agnoscant & diligent te, & quem miſisti Iesum Christum. Miſererere denique omnium fideliūm defunctorum & rore elementiæ tuæ ardores eorum tempera, eisque locum refrigerii. & pacis indulge, ut à poenitentiā te pro mq ardentiſſimè ament, & laudent in cœlis, cui ego tam imperfēcte ſervio in terris. Horum omnium miſererere, & mei in primis ingrati pec- catoris, gratiam concedens, ut à peccatis emundatus ad altissimum gradum perfectionis ascendam, & nunquam amplius ſeparer à te in ſecula ſeculorum. Amen.

i x. Ad elevationem adora intentiſſimo affectu ſanc-

tissimum Sacramentum & dic: *Adoro te, Christe Iesu, qui exaltatus es à terra, ut omnia trahas ad te ipsum. Trahe me post te fumulis charitatis tuae. Tuus sum & ero in aeternum: posside me & totum conforma voluntati tuae. Tu Rex glorie Christe; & quæ sequuntur usque ad finem Cantici Te Deum laudamus.*

x. Post elevationem offer Deo in unione sanctissimi Sacramenti exigua tua dona cum intenso devotionis affectu, nimirum firmum propositum nunquam peccandi mortaliter, sed nec venialiter quidem animo deliberato: observandi exactissimè vota tua & statuta tuæ Religionis: sufferendi quicquid acciderit adversi: promovendi te & alios semper in via perfectionis quantum licebit. Post hæc ora pro illis à quibus aliquid passus es: Isti enim sunt veri benefactores tui, qui materiam tibi meritorum maximam præbent. Orationem Dominicam recita cum Sacerdote & deinde percurre cum multo affectu pulcherrimam illam orationem: *Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam &c. & si opus fuerit, sepius repete.*

x i. Agnus Dei ter cum celebrante percurre & præpare ad communionem spiritualem, quæ nunquam omitterenda est, quando sacramentaliter non communiceas. De ea actum est supra Aspirabis autem ad Christum dicens, *Veni dilecte mi in horum tuum animam meam, perfila eam auster cælestis, ut fluant aromata illius; purga eam stillicidio tui pretiosi Sanguinis, riga fluentis gratiæ, facunda rore misericordiæ, ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, amor meus & omnia; posside regnum cordis mei & conforma illud cordi tuo. His præmissis quasi sacramentaliter comunicasses, gratias age pro spirituali refectione & fervidi amoris in te actusexista usque ad finem Missæ. Sacerdotis benedictionenī summa cum reverentia excipe, cum spe uberioris à Christo accipiendæ. Evangelium denique S. Joannis piè audi & gratias age pro beneficio Incarnationis.*

x ii. Sacro peracto rursum gratias age & pete à Do-

mino remissionem omnium tuorum & alienorum peccatorum, quoad culpam & pœnam: excellentem tibi & aliis sanctitatem: continuum auxilium in omnibus necessitatibus tuis & aliorum, corporalibus & spiritualibus: magnam gratiam adversariis & inimicis tuis, si qui sunt, aut erunt: & commenda illi in particulari aliquam necessitatem tuam, vel alienam. Demum ora pro felici exitu diei & veniam postula quod minus attenté & reverenter tam tremendo sacrificio interfueris.

**§. XXVII. Fasciculus aspirationem & aliquot brevium  
Orationum.**

**I.** **D**omine Jesu spes mea & unicum solatium animæ meæ, hodie propter te abrenuntio omnibus, quæ in mundo sunt: omnibus amicis & propinquis, omnibus delitiis & dignitatibus, omnibus divitiis & voluptatibus, omnibus solatiis & recreationibus & quibuscumque caro allici & anima inquinari potest, paratus his carete quomodocumque volueris. Te vero eligo in gubernatorem vitæ meæ & refugium meum in omnibus necessitatibus, quia non est salus extra te, nec vita sine te.

**II.** O amor potentissime, Jesu midilectissime, extrahe quæso cor meum à me, illudque purifica & renova & ab omni sorde expurgatum absconde in vulnere aperti lateris tui, ut ab eo deinceps egredi nequeat. Vivam ego sine corde & tu esto cor meum, vita mea & anima spiritus mei.

**III.** Sancta Trinitas unus Deus, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, reforma in me hanc tuam imaginem, ut cum anima mea è corpore separabitur, dignus inveniar præsentia tua & consortio Sanctorum. Quia vero perditè vixi omnibus diebus vite meæ & tempus mihi inutiliter elapsum est, ut illud irreparabili jactura amissum aliquo modo recuperare queam, avertio me quantum possum ab omni loco & tempore, totisque viribus in illud nunc æternitatis recipio, in quo tu essentialiter exi-